

**INDEX  
LECTIONUM**

**IN**

**ACADEMIA ROSTOCHIENSI**

**SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLVI**

**A DIE XV M. APRILIS**

**PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.**

**DE CHORO AGATHONIS**

**F. V. FRITZSCHIUS**

**P R A E F A T U S E S T.**

---

**LITERIS ADLERIANIS.**



**C**onstat memoriam, quae cogitationi quasi custos adhibenda est, quum aliis literis tractandis magnopere exerceri, tum antiquitatis studiis mirum in modum corroborari. Nec profecto verendum erit, committones, ne quis haec nostra legens memoriam perdat, quibus legendis in Sophoclis, poetae omnibus jucundi memoriam redibitis. Sed mementote pro Agathonis choro vobis fortasse parum cognito alium ex eodem fere genere chororum substituere Euripi-dis, quem vobis esse memini notiorem.

Chorus tragoeiae graecae, qui tanquam aliquis incorruptus iudex bonis favere, malos corrigeret et sine ulla perturbatione pietatem, justitiam veritatemque laudare solebat, nec longitudine neque argumento carminum sibi semper constituit, sed ab aliis poetis aliter institutus est. Splendidissimus haud dubie chorus est Aeschyli, quem quod unus plurima atque pulcherrima cantica scripserit, Aristophanes in Ranas v. 1257 τὸν βαρχεῖον ἄνακτα appellare non dubitavit. At ipse Aeschylus quantum lyricae poesi decoris addidit, tantum dramaticae detraxit commisitque, ut multi spectatores praelongis choris non illi quidem, sicut Aristophanes in Avibus v. 787 finxit, fame enecti, veruntamen taedio capti novum tragicorum habitum reuirerent. Ceterum Aeschyli chorus ut alioqui cum ipsa tragoeidia arcte cohaerere solet, ita in tam longo tot stropharum tractu non paucas res habet ab ipsis argumento tragoeiae alienas. Sed mutationes chorii, quae deinceps secutae sunt, mihi quidem non, ut vulgo omnibus placuit, solo poetarum arbitrio allatae, sed ipsa partim necessitate expressae esse, neque solum hominum fuisse videntur, verum etiam temporum ipsorum. Nam et Sophocles et Euripides et Agatho belli Peloponnesii tempore plerasque fabulas Athenis docuerunt. Atqui diu-  
turno bello haec civitas adeo exhausta erat, ut paucis annis post Ol. circiter XCV<sup>ta</sup> comi-  
corum choregia machinante Cinesia ad tempus tolleretur ideoque comoediae sine ullo choro  
tanquam nudae edendae essent. Et haec quidem chorii clades a schol. ad Ranas v. 153, a  
Strattide ap. eundem ad v. 406, a Platonio Περὶ Διαιτ. Κωμῳδ. IV. I p. 20 ed. Ox. et  
Horatio A. P. v. 284 diligenter tradita etsi uni comoediae propria, non etiam tragoeidis  
communis fuit: tamen dubitare non licet, quin etiam tragicorum choregia bello Peloponnesio  
valde imminuta et attenuata sit. Primum enim ab Aristotele ap. schol. ad Ranas v. 406 bini

pro singulis choragis Ol. 93, 3 paupertatis causa delecti cum tragedia diserte communicantur, tum ab Aristophane, qui chorus bellum nocere saepius queritur, in Pace v. 523 cl. v. 759 sq. chori Sophoclis in pacis bonis enumerantur, denique a scholiasta ad Eurip. Androm. v. 446 p. 288 ed. Cobet. Andromacham Euripidis bello jam saeviente scriptam, ceterum Athenis omnino non datam esse edocemur. Nempe Euripidi tum chorus ab archonte negatus erat, id quod etiam Sophocli accidit teste Cratino ap. Athen. XIV p. 638 f. Quo facto poetae haec dramata (ut alia item ἀδίδακτα ap. Athen. VI p. 270, a) aut in scenam committere non potuerunt, aut ἐθελονταὶ voluntarii esse h. e. suo sumtu fabulam edere coacti sunt, de qua re ad Ranas p. 54 sq. plura diximus. Atqui splendido choro ne choragi quidem paupertas amplius susfecit, nedum poeta solus sine ullo chorago. Ita fieri non potuit, quin belli illius tempore chori tragicci dignitas magis magisque evilesceret. Ostendisse videor, chorus Aeschyleo similes bello Peloponnesio saepe doceri non potuisse. Venio nunc ad Sophoclis chorus: quos detractis omnibus vitiis summa laude cumularem, nisi interdum omniam brevitatem exiles essent planeque jejuni. At videtur mihi Sophocles paullo ubiores chorus scripturus fuisse, nisi choragorum paupertati inserviendum esset. Proficiscar autem a Suida s. Σοφοκλῆς —. καὶ ἔγραψεν ἐλεγίαν τε καὶ παιάνας καὶ λόγον καταλογόδην περὶ τοῦ χοροῦ πρὸς Θέσπιν. καὶ Χοιρίλος ἀγωνιζόμενος. Ita enim cod. Parisinus A legit atque distinguit. Quem ego locum post v. Θέσπιν mutilum esse ratus collata alia Sophoclis vita in Westermanni *Bιογράφοις* p. 131 ita fere scribo suppleoque: [Καὶ Εὐρεπίδη καὶ Αἰσχύλῳ] καὶ Χοιρίλῳ συνηγονίσατο. Sophocles igitur pedestri sermone libellum de choro scripserat contra Thespini multo ante mortuum, qui poeta unus omnium longissimos compo-suisse chorus dicitur. Etenim Sophoclis chorus ubique et amplitudine modicus est et ipso argumento tam aptus ad tragediae propositum tamque conveniens, ut nunquam res intercincat alienas. Ac primum Sophocles tertiarum actorem (*τὸν τριταγωνιστὴν*) invenit, quo aemuli invento ipse postremo Aeschylus sibi quoque utendum putavit. Ita numero partibusque actorum adactis, ne fines tragediae nimis extenderentur, chori partes deminui necesse fuit. Quod igitur dramatica poesis a lyrica sensim emancipata magis magisque sui juris fieri coepit, Sophocli in primis acceptum referamus. Quod autem idem chorus ne in sententiis quidem a nexus proposito que totius dramatis unquam aberravit, id Aristoteli De Poetica c. 18 fin. (cl. Problem. 19, 48 fin.) et ex ipso Aristotele Horatio A. P. v. 193 sqq. jure meritoque probatum est. Quin etiam caeteros omnium aetatum criticos cum Aristotele usque eo consentire videmus, ut unius Sophoclis chorus pro vere tragico omnibusque numeris absoluto habeatur. Restat Agathonis et partim Euripidis chorus, de quo paucis disserere eo magis operae pretium est, quod historiae literatae scriptores nihil aliud quam hunc chorum prae Sophocleo contemnunt, Euripide quasi stolido scilicet graviter increpito. Qui tantum abest, ut Euripidem ipsum consuluerint, ut toti pendeant ab uno Aristoteli De Poetica c. 18 fin. Καὶ τὸν χορὸν δὲ ἔνα δεῖ ὑπολαβεῖν τὸν ὑποκρετῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὄλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὡς παρ' Εὐρεπίδη ἀλλ' ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ. τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ ἀδόμενα οὐ μᾶλλον τοῦ μόνου η̄ ἄλλης τραγωδίας ἔστι. δι' ὃ ἐμβόλιμα ἄδονοι πρώτον

*αρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου. καίτοι τὶ διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ἄδειν ἢ ὁρῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἀρμόττειν ἢ ἐπεισόδιον ὅλον;* Hinc appareat novum chorum ab Agathone tragico (haud ita multo ante Ol. 90, 4, ut puto) primum institutum fuisse, cui Euripides socius adiungitur. At Euripides in prioribus tragoediis Sophoclis chorum expressit, in posterioribus demum Agathonis exemplum secutus est. Ita efficitur, Euripidem minime imprudentia lapsum esse, sed certo consilio a Sophocleo ad chorum descivisse Agathonis cumque chorum nobis hodie et senioribus Euripidis tragoediis unice cognoscendum esse. Denique ex his Aristotelis verbis „*τοῖς δὲ λοιποῖς*“ colligere ausim, eos tragicos, qui post Agathonem floruerunt, plerumque non Sophocleum sed Agathonis chorum imitatos esse. Quamobrem et Agathonis et senioris Euripidis chorus cum ipsa actione argumentoque interdum laxo vinculo, plerumque nullo conjunctus atque ea re Sophocleo plane oppositus est. Et hujus quidem generis etsi vel superstitibus tragoediis multa exempla continentur, tamen vix ullo loco docti gravius offensi sunt, quam chori alia omnia canentis silentio de Menoecco in maxima parte chori Phoeniss. v. 1019 sqq., quo ipso loco commoti (ut Valckenarius ad v. 1026 docuit) jam veteres critici ap. schol. ad Phoeniss. v. 1026 et ad Aristoph. Acharn. v. 442 in Euripideum chorum vehementer invecti sunt. Sed ne hi quidem quaeviserunt, quibusnam causis ductus Euripides eo descenderit, ut chorum totius tragoediae partem esse quasi oblitus a semet ipse deficeret et Sophocle deserto Agathonis exemplo chorum suum non amplius aptas res canere juberet, sed a proposito longe sejunctas. Evidem olim putabam Euripidem in eadem sententia fuisse, qua recentioris auctores tragoediae, quae chorum omnino nullum habet, id est chorum utpote lyricae poesis proprium a dramatica prorsus abjudicasse: quem quum omittere totum ne religionis quidem causa potuisse, (chorus enim ab ortu ad interitum tragoediae permansisse videtur) saltem ab ipso dramate ut insitium et peregrinantem secerni voluisse. At quum coryphaei chorici diverbia in eodem poeta cum dramate ipso arcte cohaereant, haud scio an Euripides non plane ita senserit, ejusque recentior chorus excusari commode possit, defendi vix ullo modo possit. Ac primum populo Agathonis chorum placuisse vel ex eo mihi liquet, quod hic tragicus teste Athenaeo V p. 217 a Ol. 90, 4 primo praemio ornatus est. Nam quum omnino nihil inconstantius sit plebe, quumque aures hominum natura cito satientur: tum maxime Athenienses Euripidis etiam tempore novitati studuerunt. Hinc et ab Aristophane in Equit. v. 516 ἐπέτειοι τὴν φύσιν h. e. ἀνθίζοντι dicuntur, et ab Horatio in Epp. II, 1, 98 sqq. cum infante puella comparantur, quae sub nutrice ludens „quod cupide petiit, mature plena reliquit.“ Quid, quod idem Horatius in A. P. v. 211 sqq. palam contendit, Athenienses Euripidis aetate de tragoediis recte judicare non amplius scivisse. Tametsi autem ii, qui et ipsi aliena intercinunt, parabaseos chori tum in comoedia tum in satyricis dramatis conferri possunt: in tragoedia tamen Agathonis chorus novitatis gratia omnino commendatus est. Nam e Plutarcho Sympos. p. 615, A sequitur, primum a Phrynicho tragicos choros ad ipsius argumentum dramatis accommodatos esse eamque rem initio Atheniensibus permiram accidisse. Itaque unus chorus Thespidis tragoediarum parentis cum Agathone catenus convenit, quod Thespis quoque suum chorum res a dramate alienas canere jusserset:

quo ipso nomine in Sophoclis reprehensionem incurrisse videtur. Deinde Euripides plerumque eadem quae superiores poetae argumenta tractavit. Quodsi Sophoclis chorum semper expressisset: haud raro coactus esset loco fabulae eodem plane sententias suo choro tribuere, quas jam ab Aeschylo, Sophocle aliisque occupatas vidisset, id quod Euripidi maxime fugiendum erat. Tum Euripides non tam facile quam deliciae populi, Sophocles ab archonte chorū accepisse videtur: quem quo certius impetraret, et res ad unicum metrum aptas cecinīt et metra ipsa modosque mutavit eis glyconeis saepissime usus, qui polyschematisti dicuntur. Nam tales chori ex unico metri genere compositi longe facilius edisci ab choreutis potuerunt. Denique quum Euripides in tot tantisque belli Peloponnesii turbis binas quotannis tetralogias perficere vix posset: optime sensit hac chori mutatione tanti laboris molem sibi levatam esse atque minutam. Licuit enim Euripidi reliquam tragœdiā prius plane absolvere eaēque absoluta tum demum ejusmodi choros inserere, quorum sententiae cum reliqua fabula non cohaererent. Licuit vel ob consilii inopiam vel propter inertiam choreutarum chorū e priore tragœdia verbotenus translatum simpliciter repetere, quod in *Helena* semel factum esse alibi demonstrabo. Postremo in magnas temporis angustias subito (ut fit) compulso ad tales choros scribendos aliorum poetarum opera atque auxilio uti licuit. Recte autem in Vita Euripidis ap. Elmslejum pone *Bacchis* p. 173 ed. Lips. οἱ δὲ τὰ μέλη αὐτῷ φασὶν Ἰοφῶντα ποιεῖν η̄ Τιμοκράτην·Αργείον pro Ἰοφῶντα correxi *Κηφισοφῶντα* ad Ranas v. 944, quam emendationem etiam a Welckero Mus. Rhen. 1 p. 300 inventam esse Westermannus in *Bιογράφοις* p. 134 docuit. Et Cephisophon quidem monodias Euripideas partim scripsisse putabatur: qui idem an choros quoque una scripserit, nescimus. Sed in choris scribendis Euripides certe a Timocrate Argivo videtur adjutus fuisse. Ceterum in scholiasta Veneto ad Eurip. Androm. v. 446 p. 288 ed. Cobet. ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναι φησι τῇ τραγῳδίᾳ Λημοκράτην pro v. Λημοκράτην corigo *Τιμοκράτην*, ibi quoque dici ratus Timocratem Argivum.

## INDEX LECTIONUM.

### In ordine theologico.

- D. **Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O.**, Academiae Senior, pri-  
vatim 1) historiam dogmatum h. VIII senis dd. tradet; 2) historiae  
ecclesiasticae partem primam h. IX quinis dd. enarrabit; 3) encyclopa-  
diam et methodologiam theologicam h. XII quinis dd. docebit. Publice  
catecheticae horis binis deinceps indicandis praecipiet. In Seminarii so-  
dalio catecheticas sodalium exercitationes tempore constituto moderabitur.
- D. **Otto Carsten Krabbe, P. P. O.**, 1) privatim senis dd. h. IX recentio-  
rem ecclesiae inde a sacrorum instauratione ad nostra usque tempora  
historiam enarrabit; 2) privatim quinis dd. h. X theologiam moralem  
docebit; 3) publice in Seminarii sodalito homileticas sodalium exercitationes  
dd. Martis et Mercurii h. II moderari perget.
- D. **Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O.**, h. t. Decanus, 1) pri-  
vatim Symbolicen sive doctrinam Catholicorum, Protestantium, minorum-  
que societatum christianarum tradet quaternis dd. h. XI; 2) privatim  
Epistolas ad Corinthios sexies p. h. interpretabitur, quinis dd. h. XII et  
d. Mercurii h. XI; 3) publice exercitationes exegeticas moderabitur horis  
binis deinceps indicandis.
- D. **Michaelis Baumgarten, P. P. O.**, interpretabitur 1) privatim Genesin  
quinquies h. VII—VIII; 2) privatim epistolam ad Hebreos quinque  
h. VIII—IX; 3) publice praemissis linguae sanscritae elementis Nalum horis  
binis; 4) publice et gratis exercitationes biblicas moderari perget bis per  
hebdomadem.

### In ordine juridico.

- D. **Fridericus Raspe, P. P. O.**, tradet principia processus judiciarii  
civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.
- D. **Otto Mejer, P. P. O.**, docebit 1) Encyclopaediam et methodologiam  
jurisprudentiae quinque h. XI; 2) Jus ecclesiasticum commune et Meck-  
lenburgicum quinque h. XII.
- D. **Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O.**, 1) institutiones juris ro-  
mani h. XII et 2) principia ordinis judiciarii h. XI senis scholis pro-  
fitebitur.
- D. **Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O.**, h. t. Decanus, tradet  
1) Pandectas, Puchta duce, sexies h. VII—VIII et VIII—IX; 2) jus  
hereditarium quinis scholis h. XI—XII.

- D. **Paulus Roth, P. P. O.**, 1) Jus germanicum privatum quinques hora **VIII**; 2) Jus mercatorium cambiale et maritimum quinques hora **IX** docebit.

- D. **Theophilus Henr. Fr. Gaedcke**, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judicarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce **Martino** docebit; 3) scholam civilem eamque practicam moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria commilitibus offert.

#### In ordine medico.

- D. **Henricus Spitta, P. P. O.**, docebit horis **commodis**: 1) pathologiam et therapiam specialem; 2) medicinam forensem in usum medicorum et jurisconsultorum.

- D. **Carolus Strempel, P. P. O.**, docebit: 1) artem operationum chirurgicarum et ophthalmiatricarum cum demonstrationibus et exercitationibus in cadaveribus conjunctam quater p. h. hor. **IV** et 2) Clinicum chirurgicum quotidie hor. **X** et dimidia moderabitur.

- D. **Hermannus Stannius, P. P. O.**, 1) de animalibus vertebratis disseret quotidie hor. **VIII—IX**; 2) encyclopaediam et methodologiam studii medici tractabit bis p. h.; 3) exercitationes practicas zootomicas et physiologicas moderabitur quaternis diebus.

- D. **Carolus Bergmann, P. P. O.**, h. t. Decanus, 1) anatomes partem alteram; 2) historiam ovi hominis et animalium vertebratorum tradet; 3) exercitationes anatomicas assistente Prosectori L. Gronau dirigere perget.

- D. **Gustavus Veit, P. P. O.**, 1) artem obstetriciam sexies p. hebd. h. **VII—VIII** docebit; 2) exercitationes practicas in Clinico obstetricio quotidie h. **VIII—IX** moderabitur.

- D. **Theodorus Thierfelder, P. P. E.**, 1) pathologiam et therapiam specialem organorum digestionis, respirationis et circulationis quaternis diebus hora **III**; 2) anatomen pathologicam generalem demonstrationibus microscopicis illustrandam binis diebus hora **III** docebit; 3) scholas medico-clinicas in nosocomio senis diebus h. **IX** habebit.

- D. **Jo. Frid. Guil. Lesenberg** has lectiones offert: 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae; 2) chirurgiam; 3) artem obstetriciam; 4) repetitoria et examinatoria.

- D. **Joannes Schroeder** tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

- D. Ludovicus Dragendorff** docebit: 1) artem obstetriciam h. VI p. h.;  
2) examinatoria et repetitoria cupientibus offert.

### In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche**, P. P. O., h. t. Decanus, privatum  
1) trinis diebus h. VIII Euripidis Hecubam interpretabitur; 2) item trinis  
diebus h. VIII Phormionem Terenti explicabit; 3) quaternis diebus h. III  
graecarum literarum historiam tradet. Postremo exercitationes Seminarii  
philologici moderari perget, in quo Homeri Odyssea (Libb. I—IV) et  
M. Tulli Ciceronis De Oratore libri tres tractabuntur.
- D. Johannes Rooper**, P. P. O., 1) publice docebit elementa anatomie  
plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatum botanicen generalem ex-  
ponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam sensis diebus h. VII;  
3) de herbis in pratis et sylvis nascentibus disseret diebus Mercurii et  
Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker**, P. P. O., 1) privatum agros  
metiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis  
in agris et hortis praedii, cui nomen est Warnoranda, instituendis, sexies  
p. h. tradet hora III; 2) Culturam plantarum agrestium, demonstrationibus  
illustrandam, quater p. h. docebit h. XI.
- D. Ludovicus Bachmann**, P. P. O., privatum 1) ter per hebdom. Euripidis  
Iphigeniam Aulidensem interpretabitur; 2) ter per hebdom. Elegicorum  
Romanorum selecta carmina explicabit. Privatissime quater per hebdom.  
veteris Italiae insularumque adjacentium Topographiam tractabit.
- D. Hermannus Karsten**, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam po-  
pularem bis p. h.; 2) privatum geometriam analyticam quater p. h.;  
3) privatum physicen experimentalem una cum collega conjunctissimo Schulze  
octies p. h. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel phy-  
sices parte.
- D. Carolus Hegel**, P. P. O., h. t. Rector, privatum 1) historiam medii  
aevi quaternis diebus h. X; 2) historiam saeculi XVII et XVIII ternis  
diebus h. XI narrabit; 3) fontes historiae Germanicae tractabit tempore  
constituendo.
- D. Franciscus Schulze**, P. P. O., 1) chemiam experimentalem docebit,  
quotidie h. XII—I; 2) exercitationes chemicas moderabitur, diebus Mar-  
tis et Veneris h. II—VI; 3) una cum collega amicissimo Karsten phy-  
sicam experimentalem tradet, horis definiendis.
- 
- D. Fridericus Francke**, P. P. E., publice 1) philosophiam Kantii et  
Friesii describet et dijudicabit, binis diebus p. h. h. X; 2) anthropo-  
logiam psychicam s. psychologiam praecipiet, quaternis dd. p. h. h. XI; pri-  
vatim 3) logicam quinques h. III, et 4) metaphysicam quinques h. IV docebit.

- D. **Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.**, privatum 1) binis diebus h. VIII—IX Taciti Agricolam interpretabitur; 2) quaternis diebus h. III—IV Sophoclis Oedipum Coloneum explicabit; 3) quaternis diebus h. IV—V de syntaxi linguae Graecae disseret. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. **Eduardus Schmidt, P. P. E.**, docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam bis p. h. h. III—IV; 2) privatum philosophiam historiae generis humani, in primis novissimae, quater p. h. h. IV—V; 3) privatum encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universalis in philosophiam, quinque p. h. h. V—VI.
- D. **Carolus Weinholtz** privatum: 1) Methodogiam philosophicam; 2) Anthropologiam psychicam ex systemate suo docebit, et 3) de principiis philosophorum, tam veterum quam recentiorum, historice et critice disseret.
- D. **Julius Robert** privatum 1) quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; 2) ter p. h. de poetarum Gallicorum arte dramatica disputabit; gratis 3) bis p. h. de historicis Galliae recentissimis disseret et 4) item bis p. h. exercitationes in eorum usum moderabitur, qui linguae Gallicae magistri aliquando futuri sint.

**Bibliotheca** patebit quaternis diebus h. XII—I, festo et solis die exceptis, tum quolibet Mercurii et Saturni die extra ferias h. XI—I, feriarum tempore tantummodo h. XII—I; **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Conferendae sunt leges, quae de bibliothecae academicae usu latae sunt. Anglicam aliasque linguas peregrinas discendi occasio data est. Sunt denique magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales doceant.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

**Carolus Hegel, Ph. D.**

Praesidet ordini Theologorum **Fridericus Philippi**, Th. D.

Juris consultorum **Hermannus Schwanert**, J. U. D.

Medicorum **Carolus Bergmann**, M. D.

Philosophorum **Franciscus Fritzsche**, Ph. D.